Collegae ornatissimo, humanissimo amicissimo!

DE
DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

OB SUMMOS IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

DIE XXI. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXVI

IN SE COLLATOS

1866

EDIDIT

AUCTOR

DR. HIERONYMUS SCHOLZ,

SILESIUS.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

Pathogenesis.

Diabetes mellitus est morbus, qui constat nimia secretione urinae saccharum continentis.

De cujus morbi natura quamquam jam saepe disputatum est, tamen omnino non constat, et omnes explicationes, quamvis probabiles videantur, ab hypothesibus non procul absunt.

Primus Willis anno 1674 urinam dulcem esse demonstravit sed post centum demum annos saccharum in ea, simulque in sanguine, a Cowley repertum est.

Primae de ejus origine sententiae a Rollone constitutae esse videntur, qui affirmavit, diabetem perversa digestione, pathologica succi gastrici mutatione niti, quo cibi, in quibus amylum inesset, in saccharum mutarentur. Similia dixit Bouchardat. Prout [1]) etiam contendit, morbi causam in stomacho sitam esse: „Diabetes nihil aliud est nisi dyspepsiae quoddam genus, quapropter alimenta, saccharum continentia assimilari non

---

[1]) Prout Stomach and Renal Diseases 5 Th.

possunt.“ Experimentis contra Tiedemanni et Gmelini opinio istorum refutata est, qui saccharificationem in corpore ex plantarum materia processum esse pathologicum putaverunt, quum ex illis sequeretur, illam mutationem esse physiologicam.

Simul a Magendie demonstratum est, saccharum, dum cibi concoquerentur, in sanguinem traduci. Maxima sacchari pars ita in corpus invehitur: Amylum saliva oris hominum (nunquam bestiarum) et praecipue succo pancreatico in saccharum permutatur. Magna autem diffusionis facultate per membranas tractus intestinalis in portarum vasa transgreditur. Unde saccharum in corpore sano evanescit. Nam quum omnes res, quae hominis sanguine recipiuntur, in urina inveniri possint, omnes homines diabeticos esse necesse esset. Res autem non ita se habet; sed potius in normali urina aliquid sacchari demonstrare aegre possumus. (Brücke, A. Reynoso, Bense Jones) sed ne hoc quidem ab omnibus conceditur (Jvanoff). Ergo elucet, certe vel maximam sacchari partem inter tractum intestinalem et renes mutari, sive in hepate sive in pulmonibus.

Haec autem mutatio si impediatur, necessario saccharum per sanguinem ad renes venire et in urina demonstrari posse, complures dixere itaque hunc morbum explicandum esse arbitrati sunt. Sed huic sententiae rationes certae deerunt, quamdiu conditiones et causas non noverimus, cur saccharum in corpore sano extinguatur et, quando hae conditiones desunt, hic morbus existat. — Hanc ob causam hypothesis rejicienda est

diatheseos acidi urici [1]) qua omnia alkalia, quae alias ad sacchari permutationem necessaria sint, ad nimium acidum uricum sanguinis exstinguendum consumantur. (Marchal de Calvi). Experimenta quoque, quibus Mialhe demonstrare voluit, morbum ob inopiam eorum nasci, rem non satis in lucem protulerunt.

Neque Giovanni Polli argumentis hypothesin suam confirmare potest, sanguini fermentum quoddam inesse, quo corpora albuminoidea et pinguia in saccharum mutentur, quare diabetem in catalyticorum morborum numero, ut typhi etc. habendum esse. [2]) Porro diabetem imminuta respiratione niti, ut Alvarus Reynoso confirmat, certe contendi non potest. Notum quidem est, ob continuam et magnam respirationis difficultatem, ut in tussi convulsiva, coma, pneumonia, deinde in animalibus, quorum respiratio diu ita impediebatur, ut paene suffocarentur, interdum saccharum in urina inventum esse. Sed nunquam cernebatur tam multum quam in urina diabeticorum hominum, semper autem per paucos dies tantum.

Alii vero majorem et celeriorem amyli mutationem, quam in corpore sano, causam morbi habendam esse arbitrantur. Nobis autem notum est, quantumvis amyli vel sacchari in tractum intestinalem importetur, saccharum in urina hominis sani nunquam cerni. Quin etiam sacchari solutio usque ad gradum quendam (donec san-

---

[1]) Durand-Fardel: Diätetischer Gebrauch organischer Säuren. Bullet. de therap. 68.

[2]) Schmidts Jahrbücher 1862, 116.

guis 0,4 $^0/_0$ — 0,5 $^0/_0$ sacchari contineat) in vasa ipsa injici potest, priusquam saccharum renibus secernatur (Cl. Bernard). Id quoque huic sententiae obstat:

Si verum esset, omnem amyli abstinentiam sanguinis compositionem normalem statim restituere necesse esset, idque certissimum remedium esset ad sanandum diabetem, quod affirmari plane non potest.

His temporibus Marianus Semmola contendit morbum ex hyperaemia cerebrali explicari posse.[1]) Accuratis enim quaestionibus eo pervenit, ut congestionem quandam ventriculi quarti cerebri conditionem pathologico-anatomicam hujus morbi esse semperque inveniri autumaret, quum diabetes per aliquod tempus perseverasset. Zenker quoque in diabeticorum sectionibus ibidem varias mutationes reperit; strata cellularum nervorum nuda et substantiam griseam plane deletam.[2]) — Expectandum nobis est, num his observationibus, quae experimentis pulchris Cl. Bernardi, (piquûre dico), certe adjutae sunt, aliquatenus natura hujus morbi explicetur.

Anno 1848 Cl. Bernard contendit, diabetem constare nimia saccharificatione hepatis. Idem paulo ante repererat, hepar corporis organum esse, quo saccharum pararetur. In mentem enim ei venit, praeter cibos, qui amylum et saccharum continerent, alium adhuc fontem sacchari in corpore ipso quaerendum esse, quoniam in diabeticorum urina plus sacchari invenerat, quam cibis importatum erat.

---

[1]) Schmidts Jahrbücher 1862, 115.
[2]) Ibid. 124.

Ita in venarum hepaticarum sanguine et in hepate ipso multum sacchari, non autem in venae portarum sanguine cernere potuit.

Quin etiam vidit, hepar post mortem ipsam saccharum parare.

Anno 1857 substantiam quam dicunt glycogeneam ex hepate praeparavit, quae cum sanguine, saliva, diastasi conjuncta, in saccharum mutabatur. Putavit igitur, in diabete normalem saccharificationem in hepate pathologica innervatione augeri. Quam opinionem adjuvabat experimentum quoddam: quum acuto instrumento quarti ventriculi solum tunderet, in animalis urina saccharum apparuit. In hepate quidem ipso usque ad hoc tempus pathologicae mutationes insignes inventae non sunt, quae cum illa sententia consentirent, sed jam multi eam secuti sunt.

In Britannia autem ultimis annis inquisitiones accuratae factae sunt, quibus demonstrari videtur, hypothesin Bernardi falsam esse. Pavy[1]) enim contendit, se invenisse, saccharum in hepate et hepatis sanguine non se praebere nisi in cadaveribus; in viventium autem sanguine hepatis et dextri cordis non plus sacchari inveniri, quam in venis portarum et arteriis, cui copiae paululum sacchari in urina normali responderet. Sanguinem siphone excepit, quem per venam jugularem in cor dextrum induxit. Ille contra contendit, saccharum in corpore paratum ab hepate retineri et in

[1]) Pavy, Ueber Diabetes und dessen Behandlung. Deutsch von Langenbeck. Göttingen 1864.

substantiam glycogeneam (quam appellare vult „amyloidem“) mutari. Hanc ex saccharo formatam substantiam in hominis vivi hepate in saccharum iterum mutari, naturam haud videri intendere. Ut in sanguine ita in hepate non saccharum inveniri, si id in eo statu exploretur, quo vitali sit simillimum, et ita mutatio chemica substantiae amyloidis in saccharum impediatur. Quod efficitur, si hepar immergitur in aquam fervidam aut in mixturam gelu efficientem. In vita, simulatque substantia amyloides in sanguinem transiret, statim in saccharum traduceretur, quae res fermento quodam efficeretur. Qua re in vita substantia amyloides huic permutationi obstet, quae post mortem celerrime fiat (paucis minutis), Pavy declarare non potest, sed spectandum esse putat, quomodo se habeat sanguinis fibrinum, id in organismo liquidum esse, corpore autem relicto spissari.

Dum in statu normali hepar ex sanguine format substantiam amyloidem, in statu pathologico hepatis fieri posse, ut non modo saccharum inductum ab hepate omnino non amplius mutetur, sed ut illa quoque substantia in sanguinem transgrediatur, ubi in saccharum ejus fermento commutetur. Quale hoc fermentum sit, nostris diebus a Grohe inventum est, qui in chylo corpus rederit, quo amylum, substantia glycogenea hepatis, dextrinum in saccharum mutantur. De ejus origine invenit, chylum jam fermentari, priusquam in glandulas meseraicas veniret, quamobrem ponit, id in chymo oriri. Per ductum thoracicum perducitur in sanguinem.[1])

---

[1]) Stimpel. Diss. inaug. Gryph. 1866.

Aetiologia.

Haud dubie diabetes ex variis causis oriri potest, tamen de nulla certo id dici potest. Multis in casibus homines nimio frigore in morbum incidisse aut affectionibus rheumaticis, quae frigore recepto et corpore saepe permadefacto natae erant. Interdum vehementissima perfrictione hunc morbum ortum esse, nonnulli pro certo habent. (France, Oppolzer). Ut in multis aliis morbis ita in diabete excessus in baccho et venere arguuntur, sed si illud verum esset, hunc morbum esse creberrimum necesse esset.

Referuntur quoque morbi ad vehementes animi motus, id quod casu nostro tertio adjuvari potest; ad affectiones hepatis, quod hepar se praebuerit hyperaemicum multis in casibus, ubi erat dissectum; ad perturbationes corporis vel laesiones [1]); ad nimios animi labores. Post immodicam quoque consumptionem sacchari et venenationes, maxime acido arsenicoso et oxydo carbonico effectas diabetes animadversus esse dicitur. Quem hoc vel illo modo cum cerebri morbis componi posse, complures res docent: velut ictus vehementes, capiti inflicti, hemiplegia, syphilis cerebri. Hic reputandum est, quam facile in quarto ventriculo cerebri extravasatum aut tumor oriri possit, diabetem efficiens, ut a Recklinghausen in casu quodam ibi tumor repertus est [2]). Etiam ex cerebri syphilide diabetem existere posse, documento

---

[1]) Cl. Bernard Leçons de physiol. exper. Paris 1855.

[2]) Virchow's Archiv 1864.

sit, quod quum illa medicamentis mercurialibus curaretur et ipse ad sanationem pervenit. (Scott, P. Frank, van Hoven). Genus quoddam diabetis in rheumatismo quoque et dyspepsia nasci dicitur.

Quod ad crebritatem pertinet, qua hic morbus genera hominum capit, auctore Griesinger, 76 % fere omnium morborum masculino tribuendi sunt; quod ad aetatem, in unaquaque quidem nonnulli casus apparent, attamen plurimi in aetate media.

Anatomia pathologica.

In cadaveribus diabeticorum non semper eadem observantur, vel non ejusmodi signa reperiuntur, ex quibus natura morbi certo appareat. Interdum mutationes quarti ventriculi cerebri et medullae oblongatae occurrunt [Zenker[1]), Friedberg[2]), Becquerel[3])] hepar saepe est hyperaemicum, itemque renes, iidem signa nephritidis parenchymatosae praebere possunt. Nostro tempore crebras pancreate abnormitates inventae sunt. Recklinghausen[4]) duo exempla affert, in quorum altero, ectasia ductus Virsungiani, quam verisimile est obstructione canalis ortam esse facta concremento ad magnitudinem fabae, in altero hyperplastica adiposa textura pro parenchymate inventa est. Cor maxime est languidum, in pulmonibus apparet tuberculosis progressa vel incipiens, stratum musculare ventriculi est plerumque crassum.

---

[1]) Zenker, Schmidts Jahrbücher 114.
[2]) Virchows Archiv 1864.
[3]) Moniteur des hôpitaux 1857.
[4]) Virchow's Archiv 1864.

Symptomata.

Omnes perturbationes omniaque symptomata posita sunt in alieno sanguinis corpore, saccharo, quod statim in urina cernitur. Unaque magnam urinae copiam miramur. — Quum homo sanus in quotidiano cibo 1500—2000 Cc. urinae secernat, in diabeticis numerus ad 10000 Cc. augetur, in altero nostro casu copia urinae 8000 Cc. erat. Ibique ejus qualitas mutata est. Copia urinae indicit fere statum morbi et respondet plerumque copiae sacchari Quippe manifestum est, majorem copiam sacchari majorem quoque aquae sanguini auferre debere, ut solvatur. Semper autem respondet copia urinae aquae haustae, quo minus aegrotus bibit, eo minus urinae secernit, nunquam plus quam liquoris sumpsit (Nasse, Griesinger) quod nonnulli contenderunt. Item urinae copia morbis intercurrentibus minuitur, velut diarrhoea, pneumonia, tuberculosi. In diabete traumatico copia quotidiana haud multum a normali abest.

Urina ipsa est pallida, pellucida, quod declaratur e pigmento urinae normaliter secreto, non sufficiente urinae copiae auctae. Olet poma matura vel aceton. Urina recens secreta nullam reddit reactionem, vel paululum acidam; si diutius conservatur, mox acida urinae fermentatio existit, quum oriantur acidum lacticum, aceticum, butyricum, propionicum, formicarum. Pondus specificum semper auctum est, dum normaliter 1,005—1,020 esse solet, variatur in diabeticis inter 1,030 et 1,052 quod a quantitate sacchari soluti deducendum est.

Copia sacchari, quod quotidie secernitur, 10 grm. usque ad tres libras esse potest, quaecipue si aegrotus

comedit amylacea. Saccharum in urina est saccharum uvarum. Interdum etiam alia sacchari species in ea inventa est, inositum quae nunquam in normali urina existit, eademque ex glycogeneo gigni dicitur. [1])

Olim a nonnullis affirmabatur, ueam in urina diabetica minutam esse, interdum deesse.

Quare illi concludebant saccharum pro illa in corpore fieri. Id autem se ita non habet, nam ureae quantitas potius est aucta: dum victu mixto apud homines, sanos urinae 32 grm. per diem secernuntur, in nostro primo casu copia 100 grm. superabat.

A nonnullis contenditur, in urina diabetica acidum uricum esse auctum (Ranke) quod alii negant: victu mixto nunquam reperiri crystalla acidi urici, quae tum tantum large se praebeant, quum diabetici diaeta animali fruantur. [2])

Item copia natrii chlorati, acidi phosphorici (Rayer) et sulphurici augetur.

Nonnunquam etiam albumen in urina aegrotorum inventum est, cujus rei caussa est renum degeneratio aut processus in quarto ventriculo latius serpens. Quod hanc sententiam attinet, Cl. Bernard albumen una cum saccharo demonstrare potuit, simulatque piquûre in superiore loco ventriculi faceret. [3])

In eo etiam sanguine saccharum reperitur, qui per venaesectionem vel cucurbitis appositis haustus est. (Mc. Gregor

---

[1]) Gallois, Schmidts Jahrbücher 1865.
[2]) Pavy libr. cit.
[3]) Pavy libr. cit.

Bouchardat). Mc. Gregor id demonstravit in stercoribus, Cl. Bernard in succo gastrico id cognovit, in succo pancreatico, lacrimis, sudore, felle, saliva inesse negavit. Idem dixit, liquorem cerebro-spinalem et liquorem hydropicum multum continere sacchari. — Alii autem in sudore invenerunt [Fletcher)[1]), Bergeron et Lemaitre[2])].

De saliva diabetica et secreto parotidis nuper Mosler[3]) accuratissimas quaestiones in nosocomio suo fecit, e quibus elucet, salivae nunquam saccharum inesse, quod Lehmann contenderat. Secretum parotidis duobus in casibus reactionem nullam reddebat, neque in cavo oris affectiones secundariae erant, lingua humida, normali colore.

Tertio in casu jam valde provecto secretum parotidis reactionem reddidit valde acidam itemque affectiones secundariae in cavo oris fuerunt. Unde reactio sit acida, ignotum est. Lehmann quidem acido lactico id fieri contendit, nostro in casu a Limpricht id non repertum est. Cavum oris ultimo in casu erat inflammatum, lingua paulum alba, in marginibus ruberrima atque ad siccitatem inclinabat, foetor ex ore aceton olebat. Dentes erant hebetes atque locis quibusdam carie affecti, gingiva ruberrima, tumida, in alveolis ulcerata. In hoc casu id quoque manifestum erat, membranam mucosam tum temporis, quum saliva nullam haberet reactionem, intactam fuisse. Apud nonullos aegrotos acida

---

[1]) Fletcher med. tim. pag. 394. 1847.
[2]) Bergeron und Lemaitre Schmidts Jahrbücher 1864.
[3]) Virchow's Archiv 1866.

reactione salivae gustus acidus existit, ut in nostro tertio casu, ubi aegrotus, se post coenam praecipue acidum gustare professus est.

Aegrotorum sitis aucta est, bibunt interdum decem usque ad quindecim quadrantes pr. die. Cl. Bernard majori hepatis temperatura id oriri opinabatur qua major absorptio in tractu intestinali efficeretur. Ejus autem rei causa est haec, quod saccharum, quum secernitur, ex sanguine aquam arripit, quo facto cupiditas bibendi existit, sicut in cholera et febri. Qua re quum omnis liquor ex histis sumatur, fit, ut aegroti semper et saepe summopere emacescant ac corporis pondus minuatur. Glandularum cutis secretio est interrupta, cutis est sicca et aspera, epidermis desquamatur, cutis rumpitur in lineis, quibus artuum flexio efficitur.

Propter eandem aquae inopiam Wecker [1]) cataractam in morbo provecto gigni contendit, quae interdum evanescit, quum diabeticus sanatur. Aquae inopia spatia vacua inter lentis fibrillas existere, unde obnubilatio pupillae fiat (Kunde, Köhnhorn). Ab aliis ex pathologica sanguinis permutatione, quo histi non satis nutriantur (Pavy [2]), Prout [3]), Mitchell) ab aliis ex saccharo in lente deposito (Goldschmidt) id declaratur. Cataracta in utroque latere simul existit, lens intumescit, ut iris, quasi expressa videatur. (John France) [4]). Initio ca-

---

[1]) Wecker, Entstehung der Cataracta Schmidts Jahrbücher 128.
[2]) Pavy libr. cit.
[3]) Prout libr. cit.
[4]) John France, Med. tim. and. gaz. 1859.

taracta corticalis est, in gradu posteriore autem cum flavo nucleo (Graefe)[1].

Praeter lentis affectiones simul alii visus perturbationes existunt ex magna omnium musculorum infirmitate aegroti perturbationes accomodationis oculorum queruntur atque interdum retinitis observata est. (Galczowsky). [2])

Non minor quam sitis, aegrotorum fames est. Consumunt enim magnam ciborum copiam, neque earum qualitatem respiciunt, et tamen se fame premi et regionem gastricam quasi vacuam esse profitentur. Cujus rei causa est, quod maxima alimentorum pars nihil ad conservandum corpus valet, sed proxima via rursus ex corpere ejicitur.

In casibus gravioribus perit etiam impetus ad venerem, ac viri impotentia laborant et erectiones penis non amplius habent. Quam rem ex magna corporis infirmitate viriumque consumptione, vel quod liquor ex semine auferatur, vel quod cum saccharo miscetur, ut sperma non amplius nervos incitare possit, nonnulli repetunt. Aeque apud feminas menses cessant.

Propter crebram permadefactionem regionis ostii cutanei urethrae, fortasse etiam irritatione urinae, saccharum continentis aut quia mucores quidam in locis permadefactis nascuntur (Friedreich) aegroti saepe balanitide laborant aut vulvitide et excoriationibus et eczemate prope genitalia. Maxime inclinant diabetici ad furunculos et

---

[1]) v. Graefe, Deutsche Klinik 1859. 10.
[2]) Galczowsky, Ophthalmoscopische Untersuch. Schm. Jbrb. 119.

carbunculos: quorum proprium est, materias gangraenosas odoris foetidi expertes esse. Quod ita declaratur, in corpore diabeticorum diffuso saccharo mutationes effici, quibus compositiones ammoniacales, aut acida fugacia, unde odor oriatur, deleantur aut omnino prohibeantur, quominus existant.

Dum non accedunt ad diabetem acuti morbi intercurrentes, temperatura abest paulum a normali, quamquam assimilatio et secretio materiarum est aucta. Barthels in experimentis eo pertinentibus secretionem acidi carbonici minorem essse 0,5 % quam in hominibus sanis reperit.

Accedunt plerumque ad diabetem graviores morbi secundarii, quibus malum ad finem perducitur: tuberculosis pulmonum, nephritis parenchymatosa, abscessus renum.

Aegroti moriuntur uno horum morborum, saepe etiam apoplexia aut pneumonia.

Decursu diabetes fere chronicus est, acutus tantum traumaticus.

Spatium morbi plerumque unus vel tres anni sunt, ad 60 % omnium casuum, $\frac{1}{4}$—1 tantum 16 %. Ditiores qui facilius multos cibos, in quibus plurimum alimenti est, consumere possunt, plerumque morbum aliquanto diutius sustinent, quam pauperes.

Diagnosis.

Diagnosis hujus morbi difficilis esse non solet. Saepissime aegroti medicum tum demum consulunt, quum vires eorum morbo, jam aliquamdiu perseverante minutae

sunt, dicuntque statim, se siti continua, fame nullo modo sedanda vexari et in dies imbecilliores fieri, simul nimiam urinae copiam se secernere. Jam si respicimus illam copiam, per 24 horas secretam, claram, perlucidam, tum pondus specificum pro claritudine altissimum, statim morbi genus apparet, etiamsi aegroti macie nondum valde affecti sunt.

Distinguendi sunt inter se diabetes mellitus et diabetes insipidus, in quo posteriore simili modo aucta est urinae secretio, in qua major copia corporum solidorum aeque atque in illo invenitur. In hac autem urina saccharum uvarum explorationibus usitatis non cernitur. Sed Vohl aliud sacchari genus reperit, inositum. In praxi quidem distinctio utriusque morbi haud magni momenti est, quia prognosis et therapia pares sunt.

Difficilis est nonnunquam diagnosis differentialis diabetis et mellituriae, in qua sacchari copiae per aliquod tempus est aucta, ut post epilepsiam, post saccharum large consumptum, in mulieribus duabus primis diebus post ablactationem animadversum est.

In constituendo morbo gravissimum momentum est demonstratio sacchari uvarum.

Quae facillime fieri potest, ut vel minimae copiae cognoscantur.

Variae methodi propositae sunt:

Exploratio Mooriana, in qua kalio utimur: Ad urinae copiam additur solutio aquosa kali caustici, mixtura concoquitur, quo color flavus existit. Si postea effunditur acidum nitricum, existit odor specificus caramelis.

Alia eaque clarissima est exploratio Trommeriana, in qua cupro utimur. Saccharo oxydum cupri mutatur in oxydulum.

Praeterea accuratissima est ea, qua fermentatione sacchari copia constituitur, Smoleriana.

Prognosis.

Omnino prognosis diabetis infausta ejusque finis saepissime post diuturnam aegrotationem mors est. Raro quisquam plane sanatur (Griesinger). Interdum morbus, si bene tractatur, aliquamdiu cedit, sed minima jam intemperantia edendi et bibendi statum priorem reducere potest. Pavy tres diabetis formas esse, quarum unamquamque diversam prognosin admittere contendit: Nonnullos esse aegrotos, qui plus sacchari secernant quam sumant, aliis nihil deesse nisi vim assimilandi saccharum sumptum, alios denique copia quadam cibi amylacei sine detrimento vesci posse, sed usu ejus intemperanti fieri, ut saccharum mingant. Nonnunquam igitur prognosin satis faustam adhibere possis!

Si morbus in juventute se effert, multo celerius procedit, quam in senectute, in qua diu permanere potest, neque statim magnum marasmum adducit.

Therapia.

Adhuc remedium diabetis specificum non repertum est. Id ergo appetendum est, quo symptomatum vehementia atque aegroti dolores leniantur. Quam rem praecepta diaetetica adjuvant.

Quum enim organismi vis sacchari assimilandi evanuerit, corpori detrahantur, quoad fieri potest, ea alimenta, ex quibus gignitur saccharum, amylacea dico, praecipiaturque, ut animali diaeta utantur. Quo modo prohibetur, quominus sanguis saccharo satietur, mixtura autem ejus normali approximatur et accommodatur conservando organismo. Etsi primo diaeta pure animalis aegroto parum placet, tamen non arbitrandum est, eam naturae contrariam esse. Contra exempla afferri possunt, hominum, velut eorum, qui ad septentriones habitant semper cibis animalibus utentium, et aliorum aeque se bene habentium, qui solis amylaceis fruuntur. Ii tantum, qui per complures annos diaetae mixtae assueti sunt, haud facile amylaceis carere possunt. Accedit quod propter majorem appetitum diabetici magnam copiam ciborum consumere solent et, si alimentis amylaceis abstinent, famem aegre sedare possunt. Eorum stomachus solet magnopere impleri, itaque sentiunt, sibi majorem copiam opus esse, quam in diaeta animali sine detrimento sumere possunt. Jam ante multos annos notum erat, diaetam ad multitudinem sacchari multum valere eaque apte instructa est. Quamquam, ut supra demonstravimus, diaeta pure animalis plurimum utilitatis affert, huic autem aegroti taedium obsistit. Pro pane igitur communi supplementum, quod ei proximum esset, simulque quam paulum amyli in se haberet, quaesitum est. Ita in usum induxit Bouchardat[1])

---

[1]) Bouchardat Compt. rend. de l'academ. des scienc. 1841.

panem, quem dicimus „Kleberbrod", Prout [1]) commendavit panem furfureum „Kleienbrod", Liebig autem artologanos eo modo compositos, ut panis dissectus infuso malti hordei perfundatur, cujus diastasi amylum panis in saccharum commutetur et dissolvatur. Tum panis elotus siccatur.

Apparuit autem, aegrotos panem ita confectum haud diu ferre, porro inventum est, si aegrotus carne tantum fructus est, sacchari copiam primum quidem minui, paulatim autem copiam ejus rursus augeri aut aegrotorum digestionem hac diaeta valde laborare. Itaque plerique medici aegroto panem haud plane detrahendum statuerunt.

Talem moderatum panis usum Mosler in nosocomio suo permisit atque hac in re nullo modo malos successus animadvertit. Ita in primo nostro casu aegrotus, quum die XI. mensis Julii nosocomio reciperetur, 425,6 grms. sacchari secrevit, die autem I. mensis Augusti, quum carnem et unam libram panis ordinarii quotidie sumeret, 118,9 grms. tantum.

Quum omnia alimenta saccharum continentia medicus quam maxime removere velit, non solum omnino panem vetare debet, sed etiam, quod a Moslero semper maxime commendatur, aegroto chartam reddere debet, in qua ei praecipitur, quid sumere, quid vitare oporteat, quo tempore cibi sumendi, quomodo componendi sint.

Cibi, quos aegrotus vitare debet, hi fere sunt: omnia semina, legumina, tubera solani, betae nigrae,

---

[1]) Prout libr. cit.

apium grave olens dulce, asparagus, poma, frui autem licet: omnibus carnis generibus, piscibus, ovis, ostreis, butyro, flore lactis, legumine viridi, nucibus. Item potus apte eligendi sunt. Lac saepe commendatur, quia est in numero animalium alimentorum, sed quum in lacte semper saccharum lactis insit, in numero potuum vetitorum ponendum est; aeque vetantur: cerevisa dulcis, nostrae enim Germanicae cerevisiae 5 % usque ad 6 % sacchari continent, vina dulcia, liquores spirituosi. Permittuntur contra thea, cacao, coffea, austera vina rubra, spirituosa, aqua bicarbonica, cerevisia amara. Omnino aegroto ordinandum est, ut quam paucissimum bibat; sed ut sitim immensam opio sedare conetur.

Quum aegrotus noster a die XV. mensis Julii aquam potare vetitus esset, sacchari et urinae copia ab 4050 Cc. cum 295 grms. sacchari usque ad diem I. mensis Augusti in 2050 Cc. cum 118,9 grms. sacchari minuebatur. Urina igitur dimidia parte, saccharumque paene $\frac{3}{5}$ parte copiae anterioris minutum est.

Maxime aegrotus caveat, ne aquam gelidam bibat, bibat potius tepidam, mixtam cum vino rubro.

Alius modus diabetis praecipue diaeticis curandi, respondet verbis: similia similibus curantur, et a Piorry institutus esse videtur. Cujus secundum interpretationem saccharum ad vitam necessarium est.

Quum ergo saccharum inductum in diabete corpori detrahatur, eo magis inducendum esse ad magnam jacturam explendam. Usque ad hoc tempus autem hi conatus ad exitum haud bonum pervenisse videntur. (Pavy).

Omnibus diabeticis, quum ad inflammationes, ut pneumoniam inclinent, eam ob caussam severissime suadendum est, ut sibi caveant a tempestatum vicissitudine, imprimis a frigore et humore.

Quod ad praecepta medicamentosa attinet contra hunc morbum, immensum medicamentorum numerum ordinari videmus, ut contra omnes tales morbos, contra quos nullum specificum scimus remedium. Nullum diu morari potest saccharum ex urina. Ita diversis temporibus commendata et dubio eventu adhibita sunt: creosotum, alumen, chininum, strychninum, acida, alkalia, selimentum cerevisiae, coagulum vitulinum, fel tauri, pepsinum, acidum tannicum cum rheo aut aloë (Müller). Optimum etsi palliativum effectum habuit natrum bicarbonicum, quod Mosler quoque saepe prospere in nosocomio suo adhibuit.

Melior etiam eventus post usum thermarum Vichyensium et Carolinensium observatus est. Saepe paucis hebdomadibus praeteritis per thermas Carolinenses sitis urinaeque secretio deminuta, corporis pondus auctum est. Ante omnia salubres hae se praestitisse dicuntur in morbis, subito exortis mox cognitis eamque ob caussam non longe provectis, ubi systema reproductivum nervique nondum valde affecti sunt, atque ubi nondum pulmonum tuberculosis percussione et auscultatione demonstrari potest. Complicatio cum morbis hepaticis nullius momenti est. Successus autem curationis in vi derivativa et congestionibus contraria illarum thermarum positi esse videntur.[1])

---

[1]) Fleckles. Balneotherapie. Prag 1861.

Vim sine dubio bonam, ut supra diximus, opium in diabete habet. In aegroto molestum vacui stomachi sensum aufert, famem ergo removet, sitis minuitur, urinae saccharique secretio manifeste decrescit. (Pavy, Pfeffer). In hoc mirandum est, quantam opii copiam aegroti sine detrimento ferre possint. Mac Gregor usque ad 1½ drachmas tincturae opii pró die dedisse dicitur.

Omnes morbi, qui diabetem complicant, ut pleuritis, pneumonia, tuberculosis, diarrhoeae, secundum praecepta ad illos pertinentia tractandi sunt.

Ad acidam saepe salivae diabeticae reactionem et postea ex hac oris affectiones orientes vitandas, Mosler cum successu aquam hanc alkalicam gargarizando orique lavando ordinat:

℞

Kali carbonic. Dr. i

Aq. Salviae Unc. viij

Ds. Gurgelwasser.

qua etiam foetor ex ore deletur.

Historia morbi prima.

Johannes Moeller, 34 annos natus, molarum constructor, antehac se semper sanum fuisse dixit Ante sex menses autem se paulatim macescere penemque non amplius se erigere sensit. Molestias ullius generis usque ad ultimas sex hebdomades non habuit, quo tempore siti vexabatur, quam, quantumcunque aquae biberet, sedare non potuit. Praeterea semper fame vexatur et

quantumcunque edit, nunquam satiatur. Illo ipso tempore animadvertit, se quotidie ingentem urinae copiam secernere. Aegrotus, quum illis symptomatis maxime angeretur, V. die mensis Julii anni 1865 in nostrum nosocomium receptus est.

Status praesens. Aegrotus est statura robustiore, musculi sunt languidi, panniculus adiposus evanuit, cutis sicca et desquamatur. In humero dextro sunt cutis nonnulla loca pigmentosa, quorum epidermis magis desquamatur.

Cutis omnino canoalba, telae mucosae pallidiores quam normales.

In pectore et corde nihil abnorme animadvertitur. Membrana mucosa oris paulum tumida est, secretio salivae minuta, os humidum, complures dentes molares cari affecti, succus parotidis, e ductu Stenoniano captus, nullam reddit reactionem aut paulum acidam; lingua paulum obtecta, foetor ex ore similis acetoni.

In palpatione abdominis nihil abnorme invenitur. Attenuatio hepatis incipit in linea axill. paulo superius quam normaliter, et larga est in linea parastern. 8 in linea mam. 9½, lin. axill. 10 Cm. Attenuatio lineis latitudinem habet 8 Cm., non prominet trans lineam axillarem. Exinanitio est normalis, appetitus et sitis aucta, urina clara sine sedimento.

Copia urinae quotidiana, quam Dr. Brasch, collega meus, per chemiam exploravit, ita se habuit:

A V. die mensis Julii usque ad X. incl. quotidie copia urinae erat 4554 Cc. pondere specifico 1,037

	Urinae copia.	Pondus specif.	Sacchar.	Urea.	Chlornatr.
11	6080 Cc.	1,034	425,6	57,152	25,536
			grammes		
12	6370	1,034	484,12	76,44	28,48
13	7510	1,035	630,84	100,63	81,10
14	6060	1,033	406,02	79,99	25,45
15	7050	1,036	549,9	78,96	28,2
16	6460	1,036	520,67	60,72	20,67
17	7900	1,033	513,5	96,38	34,76
18	6770	1,033	528,06	86,65	36,558
19	6320	1,031	480,32	59,67	27,176
20	6000	1,032	543,0	61,2	25,2
21	5740	1,032	419,02	52,808	20,664
22	5570	1,031	412,18	51,586	23,951
23	6370	1,031	445,9	56,056	22,932
24	5920	1,034			
25	6674	1,034			
26	4050	1,035	295,65	66,825	18,63
27	3580	1,035	179,28	76,61	18,97
28	3360	1,032	174,72	67,2	18,81
29	3460	1,032	152,24	58,82	28,37
30	3370	1,032	195,46	59,84	19,60
31	3480	1,036	184,44	42,456	18,09
1 Aug.	2050	1,040	118,9	47,15	14,7
2	2850	1,038	228,1	42,45	16,24
3	3130	1,037	181,54	54,536	17,52
4	2930	1,036	161,15	43,95	17,58

Ab hoc die usque ad dimissionem XXVI die mensis februarii 1866 quotidiana urinae copia variabat inter

2500 Cc. (XXIV die mens. febr. erat 2200 Cc.) et 3200 Cc. (X. die mens. Aug. 3800 Cc.) pondus specificum inter 1,031—1,040, sacchari copia decreverat ad 156,37 grm. Pondus corporis, quum aegrotus reciperetur nosocomio, erant 107 librae, quum dimitteretur 113.

Acidum phosphoricum magnopere in urina auctum erat, continebat enim 0,05—0,07 $\frac{0}{0}$

Historia morbi altera.

Johannes Grapentin, 33 annos natus, famulus, prioribus annis pneumonia laboravit, tempus aegrotationis accurate constituere non potest. Septimo decimo aetatis anno per tres menses febri intermittenti vexabatur et anno praeterito ictero, qui catarrhalis fuisse videtur; aegrotus enim dicit, se diu appetitus expertem fuisse et saepe vomuisse. Ante XIV dies aegrotus ad vesperam subito vehementi siti, vix sedanda captus est; paulo post mingere debuit. Qui status eadem vehementia duravit insequentibus diebus, post quartam unamquamque horae partem paene $\frac{1}{4}$ quadrantis perlucidae urinae se secrevisse dicit. Muneribus aegre fungi potuit, quum brachia facillime fatigarentur. Contendit quoque aegrotus, se brevi hoc tempore manifeste corpus amisisse. Ejus fames ingens est. XXIV die mens. febr. 1866 in nosocomium receptus est.

Status praesens. Aegrotus gracili statura est, macie confectus; cutis languida, pallida, item membranae mucosae; lingua non obtecta, musculi languidi. In laeva fossa infraclaviculari levis attenuatio, in corde, hepate, liene nihil abnorme invenitur. Strepitus respirationis et

pulsus cordis normales. Faeces ex tribus diebus retardatae sunt. Urina clara, flava, exploratione, quae instituebatur kalio et cupro manifestam exhibet reactionem sacchari.

Ordinatio: Opii puri bis quotid. $\frac{1}{2}$ gr.
Ferr. sulfur. ter quot. 3 gr.
Natr. bicarb. bis quot. 1 cochleariam.

V. die mens. martii urinae copia erant 8000 Cc. pondere specifico 1,038. Copia sacchari 525,763 grms. Pondus corporis 107,7 libr.

Ordinatio: Diaeta animalis.
Opii puri bis quot. 1 gr.
Pilul. Blaud. ter quot. 3 pil.
Natr. bicarb. bis quot. 1 cochlear.

VIII. die mens. martii urinae copia erant 5400 Cc. pond. spec. 1,037; copia sacchari 224,964 grms.

XIII. die m. mart. urinae copia erant 6300 Cc. pond. spec. 1,038, copia sacchari 286,335 grms. Saliva parotidis exhibet reactionem acidam, est sine saccharo.

XXV. die mens. mart. copia urinae 5000 Cc. pond. spec. 1,039 copia sacchari 357,15. Saliva parotidis est acida. Lingua paullum obtecta, in marginibus rubra, dentes carie affecti, gingiva est ulcerata et tumida.

Historia morbi tertia.

X. XXVII die mensis martii 1866 nosocomio nostro receptus est. Habet V sanos liberos, ipse omissis diarrhoeis intercedentibus, semper sanus fuit. Hieme anni 1864 animadvertit, se corporis amisisse XV libras, viribus non minutis, ut non angeretur.

Paullo autem post sitis immensa et interdum fames exstitit. In edendo et bibendo erat colore faciei pallida, motus in dies languidiores fiebant, eodemque tempore coepit tussire. Mense junio 1865 aegrotus gravi pneumonia captus est, quae post V demum hebdomades sanata est. Ex quo tempore pondus corporis semper minutum est, impeditur quoque propter nimiam imbecillitatem, quominus coetus hominum visat. Suadente medico, qui saccharum in urina demonstraverat, ad aquas Neuenahrias profectus est, unde multo validior rediit.

Status praesens. Aegrotus est facie pallida, pergracilis, buccis collapsis, item telae mucosae sunt pallidae, anaemicae, panniculus adiposus evanuit, musculi languidi. In pharyngi glandulae folliculares sunt tumidae. Lingua paulum humida et obtecta, dentes imprimis maxillae superioris carie affecti. Saliva parotidis exhibet reactionem paullum acidam.

Exploratio pectoris praeter levem attenuationem in regione supraclaviculari sinistra et respirationem deminutam nihil reddit abnorme. Cor, hepar, lien normalia sunt. Vespere pulsus 96 mane 84. — Frequentia respirationis = 19. Temperatura normalis. Pondus corporis erant 113½ librae.

In utroque oculo erat expressa cataracta, ut aliquamdiu jam majores tantum res discernere, typos autem non legere posset.

XXVIII. die mens. martii: urina reddit reactionem acidam, est clara, colore flavo. Ejus copia per XXIV horas est 4280 Cc. pond. spec. 1,033; copia urinae sunt 193 grms.

XXIX. die mens. mart.: cop. urinae 3060 Cc. pond. specif. 1,035.

Ordinatio: Opii puri quot. $1\frac{1}{2}$ gr.

Pil. Blaud. ter 3 pil. quot.

Sal. Bulirichi quater 1 cochlear.

Aegrotus die XXX. m. m. cum accuratis praeceptis diabeticis et ordinatione, quomodo medicamentis, quae supra dicta sunt, uteretur, dimissus est.

VITA.

Natus sum ego Hieronymus Scholz die XXVIII mensis Julii anni h. s. XL in pago Silesiae inferioris, cui nomen est Schoenbrunn, patre Josepho, quem diu morte mihi ereptum valde lugeo, matre Johanna, e gente Grünig, quae dilectissima ut per longum adhuc tempus incolumis mihi servetur, oro atque precor. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus adii gymnasium Saganense, quod gymnasium etiam nunc directore Floegel floret. Unde testimonio maturitatis instructus tempore auctumnali a. h. s. LXII Vratislaviam me contuli, et ab Ill. Stenzler illo tempore fasces academicos tenente, civium academicorum numero adscriptus apud Ill. Baltzer, decanum maxime spectabilem theologorum ordinis nomen dedi. Post unum semestre autem ad almam literarum sedem Gryphiswaldensem me contuli, ubi ab Ill. Vogt, rectore magnifico civibus academicis adscriptus, ab Ill. Bardeleben, medicorum ordinis t. t. decano maxime spectabili in numerum medicinae studiosorum receptus sum.

Per octo semestria audivi disserentes:

Vratislaviae.

Ill. Friedlieb: introductio in novum testamentum, exegesis evangelii st. Johannis, de vita salvatoris.

Exp. Soffner: de dogmatice.

Exp. Scholz: de encyclopaedia et methodologia.

Ill. Junkmann: de expeditionibus a crucesignatis factis.

Exp. Freymond: de vita Molièri, repetitorium grammaticae francogallicae.

Gryphiae.

Ill. George: de psychologia et anthropologia.

Ill. Münter: de botanice, eundem secutus sum in excursionibus botanicis.

Ill. Hünefeld: de geognosia et geologia.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, myologia, splanchnologia, de anatomia organorum sensuum; de physiologia experimentali, de encyclopaedia et methodologia medica. Idem mihi dux fuit in exercitationibus cadavera rite dissecandi et in anatomia microscopia.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia; de osteologia, de anatomia comparativa.

Exp. Landois: de embryologia; de anatomia microscopia.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica et organica; de capitibus electis artis chemiae. Idem mihi dux fuit in exercitationibus analyticis.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali; de doctrina caloris.

Exp. Krabler: de auscultatione et percussione, repetitorium de materia medica.

Exp. Heineke: de syphilide; de morbis cutis; de fracturis et luxationibus; de anatomia chirurgica.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice; idem mihi dux fuit in exercitationibus ophthalmoscopicis et in diagnosi affectionum oculorum.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte formulas medicaminum rite concinnandi; de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi; de politia medica.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica generali et speciali; eundem ducem habui in cursu anatomico-pathologico.

Ill. Pernice: de theoria artis obstetriciae; de morbis mulierum et neonatorum. Idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali; de akiurgia; de morbis chirurgicis thoracis; de capitibus electis chirurgiae. Idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali; de morbis renum; de psychiatria; de auscultatione et percussione. Idem mihi dux fuit in clinico medico.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam possum maximas ago semperque habebo.